

Franckesche Stiftungen zu Halle

Antiqvitatvm Hermenevticarvm Ex Tertvlliano, Qvibvs N. Test. Loca Qvaedam Illvstrantvr, Specimen Primvm

Semler, Johann Salomo

Halae Magdebvrgicae, [1765?]

VD18 90809831

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-195511



Quod elegimus hoc huius scriptionis, quam per partes continuabimus, argumentum: opinamur non esse, ut studiosius excusatum ad alios eamus. Non desunt multi & praeclari scriptores, qui ex se atque ingenio suo ea conferre student, quibus sacrae & theologiae rei decus, atque salubrem auctoritatem ad alios augeant; pauciores autem fere sunt, qui ex vetustissimis scriptoribus utiliora recenseant. Nec hic omnes istos reprehendimus, etsi nec laudare omnes magnopere sustinemus. Multo autem minus molestis rixis & sedulis censuris, quibus nostra aetas facile corrigatur, si quidem hac ratione contingat, & nos operam dare convenit. Vetustiorum potius auctorum inter nos adiutum ibimus liberalem consuetudinem; quae exercitia & multa utilitate sua non carent, & facilius, nisi fallimur, sine invidia permittuntur. Academicos certe iuvenes reduci quasi in pristina ista tempora ius fas est: Ex quibus sibi rebusque suis bene gerendis exempla capiant salu-

A

bria,

bria, atque theologiae iustae eruditionis praestantem imaginem, comparatis utrimque studiorum limitibus, vtilissime informant. Sunt igitur ista vix specimina quaedam fructuum, qui ex ingenti quasi campo in nostros aliorumque usus ab aliis adhuc colligi possunt; Magna enim huius generis beneficia forte ne expectari quidem a nobis possunt, partim eam ob rem, quia ipsi sumus mediocri adhuc in loco; partim quia vario aliorum genere negotiorum impedimur, quo minus plus operae & decoris conferre ad hanc, quam suscipimus, causam, nobis iam liceat.

§. I.



Antiquitatum hermeneuticarum nomine usi sumus; colligimus enim eius generis observationes, quae ad disciplinam istam longe vtilissimam, saluberrimamque pertinent, quae sacris litteris recte interpretandis destinata est. Colligimus autem ex *antiquioribus* ecclesiasticis scriptoribus; quos satis constat a multis nec legi solere, nec ab omnibus intelligi. Nolumus hunc locum arrogantius tractare, ut vehementius alios quasi reprehendamus, qui minus quam deceat, operae collocant in perlegendis vetustis tractatoribus. Scimus non deesse ingenia mitiora eorum, qui lubentissime his se studiis dederint, si ita res ferat. Nec tamen alios istos collaudabimus, qui eo magis haec contemnunt, quo facilius sibi persuaserunt, omne vtilis scientiae & prudentiae, qua hodie opus sit, ministerium e nostrorum temporum diuitiis petendum esse. Alios autem, qui diuina & humana omnia e suo ingenio fortiter depromere audent: suo patimur abundare sensu; rogamus tamen, quos possumus, ut academicis iuuenibus, qui sacrorum se ministros per nostra tempora portendunt, commendent haec exercitia; ne eo delabantur, ut stuant, facile his rebus & studiis eos carere, qui religionis inter nos adiutores suasoresque agere velint. Sacrorum enim librorum interpre-

terpretes parum venusti atque periti fuerint, qui praeter id, quod ex libellis hauritur vulgatis, qui hominibus forte ex inferiori censu destinati sunt, nihil adferre possunt, quo ipsi rem communem porro adiuvent.

§. II.

Elegimus autem primo loco *Tertullianum*; ingenii in vtramque partem praecipitis insigne exemplum. Hauserat romana in ecclesia *fidei regulam* atque eius salubrem usum; nec eruditionem homini ingenique cultum defuisse, facile aliquis statuat, qui studiosius eius legerit libellos, qui supersunt. Obsecutus est autem postea πνευμασι πλανοις & falso iactatis, per *Paracletum*, sublimioris pietatis documentis, ipse meliori disciplinae, quae statim homines πνευματικωτερες formet, impotenter studiosus. A qua fraude, ne nobis nostrisque iam similiter fiat, non est hodie minus cauendum; quia non desunt, qui ευσεβειας μορφωτην nitentem & eximiam prae se ferant, δυναμεις & virtutis ipsi expertes. Neque vero earum rerum his in libris deest copia, quae multum faciunt ad faciliorem & meliorem interpretationem locorum plurium, atque insignium, Epistolarum praecipue sacrarum. Evangelia enim non raro & ipsa aliquid lucis e *Tertulliano* accipiunt; sed videtur, nobis saltem, eius generis beneficium contingere rarius & esse parcius, quam quod ad Epistolas pertinet. Ista certe disputatio, de Evangeliorum auctoritate quam contra *Euangelium* illud instituit, quo viebatur *Marcion*, habet difficultatis, quae ex lucis defectu in historicis rebus sentitur, non parum, ut vix paucis sententiis vti & nos aliquam in rem possimus. Nec hic tam reprehendimus illud, quod auctoritatem *Evangeliorum Lucae & Marci* pendere vult omnem ab ipsis Apostolis (1) *Iohanne & Matthaeo*, (isti enim *Apostolici* tantum, non Apo-

(1) Lib. 4. aduers. Marcion cap. 2. „Constituimus imprimis Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus promulgandi Evangelii ab ipso domino sit impositum. Si & apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolicis, & post Apostolos. Quoniam praedicationis discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si non adfuerat illi Auctoritas magistrorum, imo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Denique nobis fidem ex Apostolis Iohannes & Matthaeus in-

Apostoli;) aut istud, quod traditioni, quae apostolicas ecclesias distinguat, tantum tribuit, quantum omnino ista causa sibi poscere tum videbatur: sed dolemus hoc, quod fere in tenebris versamur historiae eius, quae isto tempore non poterat tam esse obscura, quam est hodie. Facile patiebamur, tacere Tertullianum de morte Petri & Pauli, quae Romanae ecclesiae attulerit praecipuam fidei auctoritatem; & de *Iohanne* eum tacere, qui ex oleo feruente non laesus exierit; sed caeteram, quae saeculo primo lucem dabat historiam eum neglexisse, parum aequo animo patimur.

§. III.

Rara quidem sunt & ista, quae ad ecclesiasticam eius temporis formam & oeconomiam sic pertinent, ut ex iis ad nos aliqua utilitas redeat: tamen hic ibi quaedam possunt reperiri, quibus ad aliarum rerum ducimur cognitionem, quae ab ista causa non sunt remotae. Eius generis fuerit illud, quod sacrarum litterarum iusta interpretatio, ut res postulat, a *presbyteris*, religionis confirmandae & promouendae ministris, peti solebat atque accipi. Hi fere sunt auctores plurium *additionum*, glossarum, ut compendio loquendi utamur, quas iam in codicibus sacris, & graecis & latinis, syria-

„finiant; ex apostolicis, Lucas & Marcus instaurant; iisdem regulis ex-
„orfi, quantum ad unicum Deum attinet creatorem &c. — — cap. 5.
„eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum, ceteris quoque patrocinat-
„bitur Evangeliiis, quae proinde per illas & secundum illas habemus, Io-
„hannis dico & Matthaei; licet & Marcus quod edidit, Petri adfirmetur,
„cuius interpretes Marcus. Nam & Lucae digestum Paulo adscribere so-
„lent. Capit magistorum videri, quae discipuli promulgarint. &c. „
Hic *Tertullianus* de *θεοπνευστων* verbum non addidit, a qua poterat longe facilius auctoritatem omnem repetere. Obseruabimus autem ordinem & seriem Euangeliorum, inter latinos scriptores antiquissimum, quod Apostoli, Iohannes, Matthaeus, praeposuntur; Marcus & Lucas post istos recensentur. Simili fere ratione codex *Vercellensis*, *Veronensis*, *Corbeiensis*, *Cantabrigiensis* collocant, Matthaeus, Iohannes, Lucas, Marcus; quod & *Franciscus Asulanus* retinuit in Epistola ad *Erasmum*, quae adiecta est editioni Bibliorum graecae 1518.; licet pag. 249. in indice libellorum in tertia parte, vulgatum sequatur ordinem. Hoc addi velim iis, quae in Editione *Prolegomenorum Werslenii* noua pag. 546, 547, 594. leguntur.

syriacisque & aliis, numero non paucas animaduertimus. Merebatur ista res copiosorem repetitionem: cui iam operam nostram impendere non licet. Illud autem attingimus: si paullo diligentius rationes subducantur, facile posse utrumque reperiri: & *vetustiores* esse istas *additiones*, ante saeculum quintum iam sacris codicibus insertas; ingenii climatisque diuersi, & *non sine publica quasi auctoritate* receptas, partem etiam ex scriptis antiquiorum presbyterorum commentariis desumas. Atque harum rerum non deest illustratio, vel in *Tertulliani* scriptis. Nostra autem breuitas vix pauca documenta hic allegari patitur. (2)

§. IV.

Igitur quod ad illud attinet, legitimam sacrarum litterarum interpretationem non arreptam fuisse τοῖς πῶλλοις scriptoribus, atque

A 3

τοῖς

- (2) Glossas satis multas *Tertullianus* admiscet recitatis e scriptura sacra locis; vix vnumquam ab Additione, qua interpretationem adiuuet. Notauimus ad *Westenii* Prolegomena pag. 590. & 664. *Tertulliani* insertam additionem, Ioh. 3, 6. quae glossa in scriptos latinos libros, *Vercellensem*, & *Corbeiensem*, venit & textui admista est. Aduersus *Praxeam* c. 15: Filius nihil a semetipso potest facere, nisi viderit patrem facientem, *in sensu scilicet* (Εἰ οὐκ αὐτὸν εἶδεν) facientem — — — Pater, qui diligit filium & omnia tradidit in manu eius; utique a primordio diligit, & a primordio tradidit. — Non iudicat Pater quemquam sed omne iudicium tradidit filio a primordio tamen — c. 22. sicut Pater habet vitam aeternam a semetipso ita & filio dedit vitam aeternam habere in semetipso. Alibi saepius; ne sinas nos induci in tentationem; de fuga in persecutionibus cap. 2, erue nos a maligno i. e. ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno: De pudicitia c. 6. — legem fistimus Rom. 3, 30; scilicet in his, quae, & nunc N. Testamento interdicta etiam cumulatione praecepto prohibentur. Pro, non mœchaberis, (in N. Test. praecipitur) qui viderit ad concupiscentiam, iam mœchatus est in corde suo, & pro non occides, qui dixerit fratri suo Racha, reus erit Gehennae. Quære, an salua sit lex, non mœchandi; cui accessit, nec concupiscendi. Lucae 20. v. 35. excitat aduersus Marcion. 4, 38, quos autem dignatus est Deus illius aevi possessione. Sed nomen Deus additum est ex Glossa. Haec & huius generis multa *Tertullianus* statim admiscet de suo interpretationis adiumenta; pleraque bene; quemadmodum hoc capitulum ex Epistola ad Romanos de Lege, cum Paulus dicit νόμον ἰσχυμένον optime exposuit.

τοῖς τοῦτοις opificibus, qui πρὸς μὲν prae se ferre ausi essent, sed ad propriam Presbyterorum pertinuisse provinciam: vel illud exemplum *Tertulliani* sufficere possit; cuius interpretationum superest magna copia, quas partim auctor ipse primus prodidit, partim acceptas a Romanis doctoribus aliis, usurpavit. Facile autem licet ista distinguere; quasdam *evvotias* reperimus communes doctoribus eius temporis, *Irenaeo*, *Clementi*, *Origeni*; sed & aliarum est illud ingenium, quod brevissime describimus, si appellamus hic ibi esse *Africanum*; Alibi tandem etiam clara exstare vestigia *Paracleti*, quem, (vtrum mentis aberratione, an vero consilio & *Συμῶς* in caeteros obsecutus non iam disputabimus,) arripere & defendere ausus est. Sed non deerit nobis hic postea opportunitas, exemplis & locis ipsis allatis hanc rem luculentius declarandi. Iam brevissime observamus quaedam loca, quibus legitima ista ecclesiae consuetudo & regula a nostro scriptore appellatur. Itaque est clarissima ista sententia paullo post initium libri V. aduersus *Marcionem*: *Quamobrem, Pontice naclere — — — edas velim nobis quo symbolo susceperis Apostolum* (i. e. epistolas siue το ἀποστολικόν). *Paulum?* *Quis illum tituli charactere percusserit* (inscriptiones, quae nomen Pauli prae se ferunt); *Quis transmiserit tibi?* (epistolas, cum non sint ad Marcionem scriptae). *Quis imposuerit tibi, ut possis eum constanter exponere?* Hac postrema sententia clare id continetur, *constantem* Epistolarum apostolicarum *expositionem* (i. e. veram, certam, quae complectatur ipsam rerum & hominum, quibus scribebatur, historiam, & ἀληθειαν, per manus traditam (3)) non expectari, nisi ab eo, cui manus

(3) De Praescript. c. 17, ista haeresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, non recipit integras — etsi aliquatenus integras praestat, nihilominus diuersas *expositiones* commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit *adulter sensus*, quantum & corruptor stilus. Variarum praesumptiones; necessario nolunt agnoscere ea, per quae reuincuntur; his nituntur, quae ex falso composuerunt, & quae de ambiguitate ceperunt. Quid promouebis, exercitatissime scripturarum, cum, si quid defenderis, negetur — c. 18, necesse est enim & illos dicere a nobis potius adulteria scripturarum & *expositionum mendacia inferri* — Vult autem Tertullianus cap. 19. illud prius proponi, quibus competat fides ipsa? cuius sint scripturae? a quo, & per quos, & quando & quibus

manus legitimo ritu atque omine essent impositae; i. e. a presbytero ecclesiae, quae ortus originisque auctoritate nouas sectas vincat. Copiosius hanc causam egit *Tertullianus* in libro de *Praescriptionibus haereticorum*. Isto autem ritu imponendi manus praecipue simul innuitur fida *παράδοσις*. Nam sic demum publice constabat, veram doctrinam, *fidei regulam* dicere solet *Tertullianus*, atque iustam auctoritatem alios in ea ex scriptura instituendi, inesse *Caio*, *Clementi* &c. Itaque iam contingebat, ut alius alium ingenio vinceret & studio, quod ad hanc docendi provinciam adferebatur. Qui recte audere poterant, dabant operam etiam refellendis novis aliorum opinionibus atque institutis; aliis licebat abstinere ab isto negotio, quod praecipuam poscebat & eruditionem, rerum certe historicarum, quibus nititur *fidei* regula, copiosam cognitionem; & prudentiam insignem. Itaque vtiliores sermiones, quae nobis supersunt inde post saeculum secundum, presbyteris fere debemus; ad quos etiam Episcoporum, quae laudari potest, eruditio & meritum per eam partorum honor, refertur. Fuit enim quasi Seminarium & Gymnasium sub oculis eruditorum presbyterorum per saeculum adhuc quartum; Hic presbyteri praeibant *Εξηγήσις* prophetarum, Evangeliorum, Epistolarum; inde autem, episcoporum quia creuerat externa quaedam potestas & horridior auctoritas: Omissa fere sunt ista & studia & decora, quibus ecclesiasticus ordo antea praestare solebat. Episcoporum enim ingenia fere omnia inde facile conferunt in iniustam legem confirmandae illiberalis potestatis: Ut imperiis & mandatis, & saecularis brachii virtute res potius, (facilius certe,) quam rationum ingenuis ministeriis conficerent. Si qua tamen emicuit adhuc eruditionis liberae natura: presbyteris hic honor deberetur, quod exemplis *Pelagii*, *Hieronymi*, *Beda*, *Godeschalci*, facile illustratur.

§. V.

bus sit tradita disciplina, qua sunt Christiani (i. e. Regula fidei & Baptismus). Vbi enim adparuerit esse veritatem & disciplinae & fidei christianae: illic erit & veritas scripturarum & expositionum & omnium traditionum christianarum. Similia ex *Irenaeo* & aliis facile colliguntur. Itaque coniunguntur *πρεσβύτεροι* & *διδασκάλοι* saepissime; atque Epiphanius narrat, Marcionem Romae Presbyteris ac doctoribus proposuisse *Matth. 9, 17. dicite mihi, τί ἐστὶ τὸ & caet.*

§. V.

Sunt hic ibi etiam expressae interpretationis regulae in *Tertulliani* libris; multae salubri praeditae ingenio; nempe *Καθολικαί*, quibus & in *Ciceronis*, *Platonis*, locis recte interpretandis, omni tempore omnibus utendum est. Primum omnium integritatem & historicam libri seu textus sacri, auctoritatem, solet tueri, & defendere a novis mutationibus; quae siue ex librariorum negligentia scribendi, siue ex destinato quorundam consilio proferebantur. Fuit autem haec regula omnibus, qui vixerunt inde a saec. tertio, Commentatoribus, graecis maxime, communis; qua si semper usi fuissent, qui scripturae sacrae *Εξηγησιν* tam facile omnes promittebant, latini praecipue scriptores post Hieronymum, (licet nec hunc semper huic rei studiosissimum fuisse sciamus): Carebamus haud dubie & stupidis pluribus decretis & difficillimis istorum exercitiis, qui succum & sanguinem etiam ex falsis scripturis mendisque & erroribus scribarum, ad se aliosque referre solebant. *Tertullianus* eos saepius accusat malae fidei, quos haereticos isto tempore dici par erat; *Marcionem* maxime, qui ut facilius suum sequi posset ingenium, ex Euangelio eas sententias fere omnes eraserit, quibus vel aliquid diuinæ auctoritatis ad libros *Mosis* accedere videri poterat. Sed iam nolumus ex querelis aduersus *Marcionem* efficere, hanc regulam a *Tertulliano* diligenter fuisse adhibitam; Nec enim diffitebimur, nobis parum adhuc de ista causa, quae multis facillima videtur, constare, quam defendit *Tertullianus*. Tam obscura est atque impedita ista eius disputatio, ut non solum fere ignoremus, utrum velit *Tertullianus* hoc, *Marcionem ex graeco* (4) abstulisse, an vero ex latino quodam libro

(4) *Westenius* primus omnium, licet, forte & *Millio* prolegom. 378. sic visum esse, opinetur, statuit *Marcionis* codices ex versione latina veteri, siue Italica non vero ex graecis exemplaribus conflatos fuisse vid. *Prolegomena* nova edit. pag. 212. seq. Utitur autem potissimum hoc argumento: graecas phrasas alias legi in *Dialogo*, qui *Marcionis* nomine solet insigniri, quae fuerint ex latinis phrasibus graecae conuersae. Sed haec videtur nihil effici. Illud enim scimus, istum dialogum, ut maxime primo latine scriptus, & post graecae conuersus fuerit, non esse ipsius *Marcionis*; latinum autem auctorem, siue *Maximium* treuerensem siue alium, visum

libro euangelii, (cui etsi nec nomen *Marcion* voluerat adici, ipse tamen dicit *Tertullianus*, eum *Lucam* elegisse *videri*, quem caederet) sed

ysum esse in allegatione scripturae s. latina translatione, non est profecto quod quis miretur. Ecquid vero hoc facit eo, ut cognoscamus *Marcionem* ipsum solitum fuisse uti latinis libris? nec recte colligitur, si *Marcion* vtritur sententiis, quae leguntur hac vocum serie in latina versione: Habuit igitur ipse latinorum librorum consuetudinem. Latina vetustior versio est, ex graeco libro, qui textum prae se ferebat alium, quam est ille textus graecus, qui inde a saeculo quarto est vulgatus; ad quem etiam comparata fuit versio latina iunior, quam *vulgatam* appellamus. Itaque potuit *Marcion* describere sententias & constructiones, quae sunt illae, quas inuenimus in *Itala*, siue vetustiori latina; sed intercedimus, si *Werstenius* & plerique critici inde effectum putant, quod volunt. Si *Marcion* usus est eiusdem graeci textus, e quo translatio illa latina prodiit, apographo: Non potest *Marcion* non describere phrasas & constructiones, quae conueniunt cum *itala*, & quae differunt a vulgatis inter nos cunctis libris graecis. Breuius licet rem designare; si fuit diuersa textus recensio, alia per orientem, alia per Egyptum & occidentem: Facile patet, unde diuersitas latinarum vetustiorum translationum venerit. Hae de re forte locus erit postea pluribus exponendi; siquidem *Tertullianus* sequitur latinum textum, qui sequebatur recensionem graecam alteram, cuius in locum postea successit ad nos recensio orientalium ecclesiarum.

Werstenius etiam ex *Tertulliano* (Lib. 4. aduers. *Marcion*. c. 38.) affert illud Luc. 20, 35, quos autem dignatus est Deus, saeculi illius possessione; *Marcionitas* sic distinxisse, Deus saec. illius; ut facerent alium Deum illius aevi. Reposui iam in Proleg. p. 214. Deus hic esse ex Additamento & glossa; loco $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\iota\sigma\tau\epsilon\varsigma$, quod infert respectum ad tantae rei auctorem, posuerunt quidem quasi clarius (nisi fuit ex graeca ista recensione), quos Deus dignatus fuerit. Neque enim nomen *Deus* occurrit in vilo codice; monui etiam, de fide *Tertulliani* mihi saepe non constare, quippe qui titubabat & fluctuabat, atque magis ex suo ingenio arbitratur quid legerit forte aut eraserit, aut interpretando corruptum iuerit *Marcion*. Cuius rei & hic locus prodit argumentum. Ecquis enim non haesitet hic, cum *Tertullianus* persuadere vult, haereticos quosdam sic hic legere: Quos autem dignatus est Deus illius aevi possessione & resurrectione a mortuis, & caet.? nam facile constat, nonnisi ineptissime & stupido modo aliquem ista posse diuellere: Deus illius aevi dignatus est aliquos, possessione & resurrectione. *Marcionis* certe nec ingenio nec consilio conuenit; de quo *Tertullianus* ipse Lib. 5. cap. 10. his verbis scribit: *Marcion in totum carnis resurrectionem non admittens*, & soli animae salutem

sed etiam illud non raro euenit, vt confirmet, *Marcionem* erasisse sententias, aut voces, quas nos scimus numquam in *Lucae* commentario extitisse (5). Adeo constans est Codicum & Translationum Textus.

§. VI.

salutem repromittens, non qualitatis (corporis) sed substantiae (corporis ipsius) facit quaestionem. Igitur quomodo *Marcion* aut eius quidam discipuli possunt tam ineptire, vt coniungat hic, *Deus saeculi illius*? *Tertullianus* ex suo ingenio talia reperit. Filii huius aevi & illius aevi a Christo comparantur. *Epiphanius* notat versum 37. a *Marcione* eiectum fuisse, quia de *Mose* aliquid confirmat; sed de v. 38. nihil monuit. Videtur autem latine primum fuisse: qui autem dignati fuerint *illius aevi*, & resurrectionis. Adiectum est postea nomen possessione: sic enim superest in libris vetustioribus latinis; *Colbertinus*: qui digni habentur saeculi illius, in resurrectione mortuorum. *Corbeiensis*: — — digni habentur saeculi illius & resurrectionis ex mortuis; sic & legit codex, *Vindobonensis*; sed *Brixienfis* quasi correctus, — *saeculo*; sic & auctor libri de singularitate Clericorum. Ista latinae recensiones non agnouerunt graecum verbum *τοῦ αἰῶνος*; nec habuit *Cyprianus*: Qui autem habuerint *Dignationem saeculi illius* & resurrectionis a mortuis & caet. Absuit *τοῦ αἰῶνος*; cuius demum vestigium est in *Cantabrigiensi*, in quo inest vetusta & simul recens quaedam versio: qui autem digni fuerint saeculi huius obtinere; (*τοῦ αἰῶνος*, cuius haud dubie est serior origo, ex graeca recensione alia in nostrum iam textum illati); & resurrectionis ex mortuis. Hic opinor, satis clara est confusio latinae diuersae recensionis. Melius ii fecerunt, qui scripserunt, digni fuerint *saeculum illud contingere*, neque nubunt; sic auctor libri de promissionibus. Similiter legit codex *Vercellensis* — — *contingere*, in resurrectionem a mortuis, & caet. Non negamus istam sententiam, de resurrectione a mortuis, videri a glossa esse, quae designat eam rem clarius, quomodo contingat saeculum illud. Eo magis miramur, quod *Tertullianus* eam sententiam, contra *Marcionem* tamen scribens, aliquoties exprimit, quam quidem certum est in *Euangelio Marcionis* non extitisse. Possit videri ex *Marco*, aut *Matthaeo* in *Lucam* translata.

- (5) Ex pluribus ista afferimus. Lib. 4. aduersus *Marcionem* cap. 7. Christus ostendit, venisse se non *ut legem & Prophetas dissolueret, sed ut potius adimpleret*. Hoc enim *Marcion* *ut additum erasit*. Et iterum cap. 9. quid ergo tibi profuit de *Euangelio* erasisse & caet.: Ea, quae de Synagoga, in qua docuerit Christus, sic vt stupuerint, (*Luc. 4. v. 22.*) & de spiritu Daemonis, (*cap. 4. 33.*) ostendunt, seriem historiae; sed nec ibi, nec in *Luca* alicubi legimus nos hodie eam sententiam, quae *Matth.*

8, 17.

§. VI.

Igitur abstinemus nos iam ab istis, quae vult Tertullianus a Marcione esse erasa; quarum tamen sententiarum integritas parum fortiter a Tertulliano defenditur & confirmatur. Lib. 4. cap. 3. Istam regulam prodit: *Intendamus & sensui ipsi & causae eius, & apparebit vitiatio scripturae.* Agit autem de sententia Pauli Gal. 2, 5, atque contendit, legendum esse, *ad horam cessimus subiectioni.* Codices plerique omnes, qui nobis supersunt, contrariam in partem efferunt: Quibus nec ad horam cessimus. Hic illud quidem miramur, Tertullianum non ad codicum scriptorum auctoritatem prouocare illos, qui *vitiata*, ut arbitratur ipse, *scripturam* afferebant. Atque eo miramur magis, quod ipse ad *authenticas* Apostolorum *litteras* & cathedras remisit eos, qui vellent curiositatem melius exercere. Nec recordamur hoc in scriptore alicubi eius generis nos legisse

B 2

gisse

§. 17. (isto in contextu fere) innenitur. Wetstenius non attigit hanc Tertulliani orationem; nec ad Matth. locum, Irenaei facit mentionem, qui Lib. IV. 13. scribit: *omnia enim haec*, (Matth. 5, 27. 28. 33. 37, quae existant, non soluentis legem, sed extendendis & dilatantis, ut dicit hic Irenaeus, quemadmodum Tertullianus antea not. 2.) *non contrarietatem & dissolutionem praecceptorum continent*, sicut, qui a Marcione sunt vociferantur, *sed plenitudinem & Extensionem* sicut ipse ait Matth. 5, 20. In dialogo contra Marcionitas, seu *de recta in Deum fide* p. 830. Edit. Origenis operum Tom. 1. de la Rue, sic inducitur Marcus: hoc, non veni Legem solvere &c. *ἵδμεν ἐγγεγραμ.* Christus autem dixit *ἐν ἡδὲν πληροῦν τὸν νόμον, ἀλλὰ καταλῦσαι* mutato verborum loco. Paulo adhuc aliter Isidorus Pelusiota Lib. 1. Ep. 371, ad Panfophium ab editore Wetstenio ibi allegatur: Marcionitae sic scripserunt (hanc sententiam in *Matthaeo*), *τί δοκεῖτε, ὅτι ἡδὲν πληροῦν τὸν νόμον ἢ τὰς προφῆτας; ἡδὲν καταλῦσαι, ἀλλ' ἐπληροῦν.* Ista autem non conveniunt cum allegatione in *Dialogo*. Haec arbitramur ab his scriptoribus ex ingenio suo dicta esse; cum non animaduertent, Marcionem *Lucae* tantum recepisse Evangelium; Itaque nec eradere poterat hanc sententiam; licet his occurrat in *Tertulliano*; nec invertere eam, & commutare. Illud non possum negligere, quod in *Dialogo* Marcionista ille *ἵδμεν* dicit hoc scripsisse; Tertullianus refert Lib. 4. c. 4. adversus Marcionem, ab hoc haeretico dici, a *prophetis Iudaismi* interpolatum fuisse Evangelium, ad concorporationem Legis & prophetarum i. e. ut Evangelium, Lex & Prophetae fierent unum corpus.

gisse confirmationem, quae petitur e codicum auctoritate & praestantia. Caeterum regulae ipsius vim atque virtutem non repudiamus, qua potius semper opus est, etiam iis, qui scriptorum aut aliorum veterum librorum vti voluerint testimoniis. *Intendant* oportet, *sensui & causae eius*, & apparebit vitatio alterius, quae in codicibus reperitur, variae scripturae; siue, *de veritate lectionis* vnius prae altera aliter recte non poterit iudicari atque statui, nisi hac regula utamur. Itaque & *Bengelius* (6), qui a coniecturis iubet abstinere criticum, tamen iudicio nostro permittit, ut intelligamus, e qua lectione ex alia videatur facilius orta esse; quae quidem quaestio habetur hic praecipue de litterarum similitudine; sed plerumque vel ista vnius, quae accidit, mutatio litterae, nisi sensu & eius causa interueniente, recte haberi nequit. Atque breuiter iam & id repetemus, quod ad sensum & causam eius ita pertinet, ut dubitare de ea re vix quisquam possit. Negat *Paulus*, hominibus se dare operam, ut placeat, c. 1, 10. seq. negat se ab ullo homine edoctum esse, v. 12, sed *δι' αποκάλυψεως* didicisse; nec assentimur *Tertulliano*, qui

suarum,

- (6) Vid. *Epilogum* §. VI. N. IV. p. 619. recent. Edit. Haec eadem ratio religiosos animos abstinere, quo minus *coniecturis* aurem praebeant. Etenim duo sunt, quae praestare coniectores debet; primo, Lectionem aliquam esse certo mendosam; alterum, correctionem, quam ipse profert, vnicuique genuinam esse, nec meliorem alteram repertum iri & cet. Recte haec in coniecturarum auctores dicuntur, qui ex ingenio suo facile sumunt, quod aduersus libros scriptos & versiones laudent: licet rationes istas minus putem constantes esse, quas hic vir doctissimus prodit. Idem vero *Introductione* in *crisin* N. T. §. 21. coniecturas alio in genere & loco patitur: *Vide*, vtra lectio prae altera sit explicabilis? tum *quaere tecum*, vtra lectio potius orta sit ex altera: Consiliumque an casus ortum ei dederit? His autem sententiis opinamur coniecturarum aliquem usum contineri; itaque faciendum est, esse locum coniecturis in hac causa! Verum utrum persuaderi tam facile aliis possint earum iustae rationes, quam solent auctoribus placere suis, atque, utrum aliquid ingenuae utilitatis ex isto pruritu ad alios redire possit, difficile erit ad confirmandum. Ipse autem *Bengelius* non raro suae coniecturae & sensui suo obsequitur; e. gr. cum pronuntiat esse *ἡδὲ* S. S. delicatissimo sale & subrilissimo decoro refertum; (post initium *introduc.*) & alibi (fundamenta *ἡρσεως* in apocalypsin) Hebraismus toto regnat libro — sed re vera cum *assuetudine* — plane caelestis stilo curiae dignus.

suarum, quas agebat aduersus Marcionem non numquam paulo impotentius, partium iusto studiosior, scribere ausus est (7), contra Pauli de se testimonium: „Paulum praedicationem Apostolorum „omnino secutum esse, qui formam ab eis dedocendae (i. abiiciendae) „legis acceperit. „ Negat Paulus, v. 17, Hierosolyma se adiisse, doctrinae causa. Cap. 2, 2. denuo profiteretur, se κατὰ ἀποκαλύψιν ascendisse, (nempe sic facilius consentiebat, & patiebatur, se ab ecclesia Antiochena cum aliis eo ablegari, cum intelligeret, fructus longe maximos ad Euangelii propagationem faciliorem inde proventuros). Recitasse se, dicit, modum omnem Euangelii, praecipue Autoribus ecclesiae Hierosolymitanae, ne in vacuum forte curreret, si istorum auctoritas doctrinae suae iam obicem poneret; ab iis probari & constabiliari desiderat, recte addidit Tertullianus. Nempe, stabiliri & probari; quia videbatur alium cursum tenere. Sed, v. 3, etsi ista audierunt omnia, etsi Titus adeo, quem secum adduxerat, nondum circumcisis fuerat, quod omnes nouerant: tamen nulla Apostolorum & statum ecclesiae auctoritate circumcisioni fuit subiectus; nec Petrus, nec Iacobus, nec Iohannes id quasi necessarium factu poscebant. Fuerunt autem falsi quidam alii doctores, Indaizantes sic, ut magis honorem suum ipsorum per circumcisionem propagatum & auctum irent, quam Euangelio ἐν τοῖς ἔθνεσιν proferendo fauerent. Hi speculabantur, astute & illiberali animo obseruabant, ut arriperent aliquid, quod videretur nimiam libertatem prodere, cuius specie legitime abuti possent eo, ut commouerent tandem & alios, atque efficerent, ut lege quasi sacra publica circumcisio inde εἰς τὰ ἔθνη iuberetur. Propter hos

B 3

falsos

- (7) Lib. 4. c. 2, siue paulo ante eum locum, quem exhibuimus; addit denuo, Paulum narrare, ideo se ascendisse Hierosolymam, ut conferret cum Apostolis de euangelii sui regula, ne in vacuum curreret, si quid scilicet citra formam illorum euangelizaret. Hoc minime cum Pauli narratione conuenit; qui semper negat, a quoquam homine, ne ab Apostolis quidem aliis, hanc formam se didicisse, quam in Euangelio inter gentes praedicando solebat ipse obseruare. Nec Apostolorum decretum, Act. XV. aliter rem prodit. Apostolorum auctoritatem tantum propter alios, ad amoliendam omnem inuidiam, impetrare studuit; istam autem viam, qua pergebat, sine doctoribus & auctoribus ingressus erat, in reuelatione confusus.

falsos doctores (8), induit Paulus eam personam, ac si venisset hoc consilio, ut auctoritate Apostolorum ad suum munus iam accederet: cessimus subiectioni, i. e. subiecti ibi fuimus, subiecimus nos ipsi; observauimus ibi & ipsi ea, quae solebant in hac ecclesia adhuc e Iudaismo retinere. *Tertullianum* placet haec explicantem legere: „Frustrandi erant falsi fratres, speculantes libertatem christianam, ne ante, eam in seruitutem abducerent Iudaismi, quam Paulus sciret, se non in vacuum cucurrisse; quam dexteris ei darent antecessores; quam ex censu (auctoritate, iussu, consensu,) eorum in nationes praedicandi munus subiret. Necessario igitur cessit ad tempus. „ Recte haec *Tertullianus*; Paulus, qui antea a nullo homine auctoritatem mutuatus erat, qui nec ab Apostolis aliquid addiscere voluit: iam cessit τῇ ὑποταγῇ, id est, horum auctoritatem ipse hic reueretur. Inter hos Iudaeos hos mores ipse prae se fert; ut ne in vacuum ipse curreret, nec periret iste omnis tot annorum labor; ut dextrae istorum non ei negarentur. Recte *Tertullianus* porro addit: „Et sic ratio ei constat, Timotheum circumcidendi (9), & rasos introducendi in templum, quae in Actis edicuntur, adeo vera, ut Apostolo consonent, profitenti, factum se Iudaeis Iudaeum, ut Iudaeos lucrificeret, & sub lege agentem; propter eos, qui sub lege agerent. „ Nempe hanc omnino historiam, rerum Hierosolymis gestarum, respicit Paulus, cum dicit: Iudaeis se Iudaeum factum &c. Extra Palaestinam enim locus numquam fuerat istis Iudaeorum ζήλωτων moribus imitandis.

§. VII.

(8) Ψευδοδιδασκαλῶν non intelligimus christianos homines e plebe, plebeios, sed qui essent ministri & adiutores religionis; falsos doctores; quemadmodum fere saepius & plerumque, in epistolis saltem, ἀδελφοί, sunt socii in ministerio Euangelii. His enim praecipue epistolas suas destinarunt Apostoli, non vero τοῖς πολλοῖς & cunctis christianis. Sic Actor. 20, 17. qui accessiti erant Ephesinae ecclesiae presbyteri, v. 28, ἐπισκοποὶ τε ποιμνίῃς, v. 32. a Paulo appellantur ἀδελφοί, quos inter praemonet fore, qui falsis doctrinis discipulos, seu christianos peruertere sustineant. Plebs christiana, filii, ἀγαπητοί, dici solet.

(9) Videtur ad sensum nihil interesse, siue sic legamus, siue in participio, circumcidenti, — introducenti; quod solet fere excudi; & durius, fatemur, scribit *Tertullianus*.

§. VII.

Itaque praeferimus antiquissimam, quae Latinorum semper fuit, ante istam *vulgatam*, lectionem; quae a pluribus graecis codicibus (10) olim auctoritatem deriuabat, licet eorum, qui nobis iam noti sunt, nullus consentiat; exceptis *graeco-latinis*; quos solent viri docti fere negligere & paruipendere, in his causis, quae ad *lectionis* varietatem pertinent (11). Neque vero spem abiici-

mus,

(10) *Plures* graecos codices appellamus. Interpres *Irenaei* omittit negationem; qui eo rectius *Irenaeum* hic transtulit, quo minus est credibile, eum omisurum negationem, si adesset; multo magis, si alibi iam soleret adesse. Nec latinus *Irenaei* interpres ad vulgus potest deprimi. *Ambrosiaster* similiter affirmat; addit tamen & improbat: *graecos* (sui temporis) contra dicere, *nec* ad horam cessimus. *Ambrosius & Augustinus* negationem proferunt, sine admonitione; nempe isto tempore, vulgatio iam erat serior recensio; neuter autem praecipue graecis codicibus operam dedit. *Hieronymus* notat, in codicibus latinis, (qui ex vetustiori graeco libro iam translati circumferebantur) legi, sine negatione; sed porro addit quasi reprehensionem: si Titus nullo potuit terrore compelli, (hoc falso sic interpretatur Hieronymus; alter superest sensus, si Titus a nullo Apostolo, qui Paulo quasi superiores videri poterant, circumcidi iussus est;) ut circumcideretur, — quomodo *quidam putant legendum esse*, quibus ad horam cessimus &c. Hieronymus falso fingit, hoc, *cessimus*, idem dicere ac, passi sumus Titum circumcidi; de qua re Paulus nihil hic adfirmat. Iam vero, si *Hieronymus* cognouerit, falso, & sine locupleti codicum graecorum testimonio, omitti negationem: cur tam timide rem omnem colligendo & argumentando vult conficere? Quidni fortiter graecos libros appellat? Istud autem, *cur quidam putant* &c. intelligendum est, de aliis commentatoribus & doctoribus, qui codicum antiqua consuetudine ita statuerunt; falsus enim erat, in *latinis* codicibus abesse negationem. Itaque ineptum erat dicere, cur quidam *putant* legendum esse, si oculis videre licebat, sic legi in libris latinis, qui ante hos putatores & coniectores scripti erant. Meminerimus, *Hieronymum* in praefat. Euangel. ad *Damasum* conqueri ipsum, de *Hesychii & Luciani* nouis additionibus & emendationibus; quarum *falsitatem* ibi rectius conludabat ex *translationibus*, quae ante istos nouos correctores codicum, variis in prouinciis iam legebantur.

(11) Non iam copiosius repetemus, quae *Wetstenius* in *prolegomenis* pluribus in locis & saepius paulo insolentius scripsit contra codicem *Bezae*,

sen

mus, fore propediem, vt de hoc codicum genere sententia mitior & iustior feratur: quod videtur non solum esse antiquissimum, sed etiam alius & diuersae *recensionis graecae* seruare luculenta vestigia; vt inde satis constet, superesse hanc *recensionem*, quae cum *latina* vetustissima consentit, ex seculis vetustioribus. De qua re etsi iam verbosius agere non licet, illud tamen commemoramus, vt de ipsa causa iudicetur incorruptius & liberalius: de *Euangeliorum* & *Actuum* duplici & diuersa *Recensione* dubitari amplius fere non posse ab iis, quoti quique attendunt ad varias lectiones eas, quae exstant in codicibus *Wetstenii*, C. D. L. 1. 13. 28. 33. 63. 69. satis frequentes; rarius in quibusdam (12) aliis, 51. 89. 102. 106. in

seu D; contra C, qui similiter, vt D. a *prima manu* prae se fert graecas phrasas & constructiones alias. Similiter de codice L. 13. & aliis pronuntiat: esse ad *italam* emendatos aut corruptos; nec mitius, inclementius potius adhuc, sentit, de codice *claromontano*, s. *germanensi*, *Augiensi*, *Boerneriano*. *Millii* sententias, hic ibi similes, attingere iam non opus est; *Bengelius* autem, vt nonnumquam solet, grauiter & non sine seueritatis specie, *configendos* a se putauit graecolatinos codices; quos pro rhapsodiis habet, quae collectas exhibeant varias lectiones & codicum & patrum, & graecorum & latinorum; vel etiam corruptelas apertas, vtrisque obtrusas. Huius iam loci non est ostendere exemplis clavis & luculentis, quam haec sine ratione dicantur, & quam praiceps in hanc sententiam feratur vir optimus, qui ingenium horum codicum iusto minus obseruauerat. Vel illud, quale est, quod dicit codicem *cantabrigiensem*, qui Marci 13, 2. post *ἔπειτα* addit, *καὶ οὐκ εἶπεν ἡμεῖς ἀλλὰ ἀναστρέψαντες ἑαυτοὺς*, imitari hic Cyprianum, qui similiter ista coniunxit. Scilicet; quid autem reponat, si dicam, *Cyprianum* habere ex eodem graeco exemplo, vnde descriptum est illud, quod iam habetur in D! Scimus enim, olim Euangelia singula fuisse multo, quam nunc, verbosiora, siue ex *Tatiani* bene maleficio, siue ex simili ministerio. Sed alio loco plura proferemus, ad defendendum *Bezae* librum & aliquot alios, quos etiam *Wetstenius* iusto honore priuauit.

- (12) Nondum videntur eruditi viri, qui MStos libros sacros tractarunt, ad hanc rem attendisse; nec hanc in viam prospicere aut ingredi licebit, nisi iis, qui praecipuum studium ad manuscriptorum excerpta & patrum allegationes attulerint. Multis enim opus est obseruationibus & continuis. Hic autem vix breuiter haec attingo, & aliquot exemplis illustra-
rum

in Evangelistariis adeo quibusdam; in versione *copta*, saepius; in *Armena*, & quae notantur e libris graecis alexandrinis, in margine versionis *syriacae posterioris*. Item in *Clementis*, alex. *Origenis*, *Eusebii*, *Caesar.* *Isidori pelusiotae*, & *Cyrilli* adeo allegationibus. De *Actibus* iam Clerico, seu *Critobulo* (13), in mentem venit, forte *Lucam* bis edidisse *acta*; adeo variant, textus *cantabrigiensis*, ac *laudianus*; cum quo conveniunt saepissime notationes in margine *secundae syriacae*; & textus vulgatus in codicibus nostris. Exponimus de hac re alibi studiosius; sed hic audemus contendere & confirmare, esse longe certissimum (14). Quod si res ita habet, quod attinet ad Euan-

tum eo. Codex 51, (*Laudianus* 2) *Ioh. IV*, 14. legit, — — ἐκ τῆς ὕδατος & ἐγὼ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγή ὕδατος αἰῶνος, εἰς ζωὴν αἰώνιον, omittis istis, & μὴ διψῇ εἰς τὸν αἶωνα, ἀλλὰ τὸ ὕδωρ, ὃ δώσω αὐτῷ. Ista omittunt etiam codices 59. & 68. atque C. siue rescriptus iam *Ephraemii* quibusdam, a *prima manu*; igitur postea deinceps ista alia adiecta sunt. *Origenes* & versio *Saxonica* similiter ista priora legunt. Nempe ex una *recensione*; altera recensio legit ista, & μὴ διψῇ &c. iam utraque coniuncta est. Multa sunt exempla alia; *Matth.* 28, 8. ἐδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Καὶ ἰδὲ, ὁ Ἰησοῦς &c. omittis his, quae interiacent, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Sic legunt D. 12. 33. 49. 59. 60. 69. Evangeliarium L. a *prima manu*; 13. 15. 17. *Syra*, *copta*, *vulg.* *armena*; *arab.* *Hieron.* *Augustin.* Nempe in alia recensione fuit. ὡς δὲ &c. Sed in nostro textu foede coierunt utraque. Sunt igitur magni momenti ista fragmenta alius recensiois.

(13) Clericus in libro, *Défense des Sentimens de quelques theologiens de Hollande*, Epistola XVII. pag. 453. „Nimirum potuit esse duplex editio Actorum ab ipso *Luca* procurata, quarum una altera fuit emendatior & purior &c. „ Videbatur & *Hemsterhuisius* aliquid eius rei velle, ut intelligimus ex S. Vener. *Ernesti*, viri incomparabilis & eruditionis & animi, institutione interpretis. Nos autem hoc, quicquid est diversitatis, tribuimus studiis *presbyterorum* in variis provinciis; quemadmodum iam *Clemens alex.* loquitur, de quibusdam, qui *transposuerint, μετατίθεντες τὰ εὐαγγέλια*, phrasin Evangeliorum. Eius fere generis fuerint additamenta, quae collegit *Lucianus presbyter*, quem *Hieronymus*, praefatione ad *Damasum*, ideo reprehendit, quod a *vetustioribus* codicibus discesserit eius editio.

(14) Pluribus de his tractabitur in libello germanico, qui recenset codices

Euangelia, & Actus, ut exstiterit diuersa recensio graeca, in Aegypto & provinciis, quae sub occidente sole censentur, & alia diuersa, quae in Syria, ab Antiochia vsque per Orientem, Constantinopolitanamque adhibebatur dioecesi: facile iam colligitur, similiter & Epistolarum fuisse recensionem graecam duplicem. Atque, quemadmodum in Euangelis est insignis diuersitas lectionum, quam librariis tribuere amplius non licet: sic nec mirabimur, esse in Epistolis lectionum causam similiter comparatam. Itaque vel oculis videre est, saepius aliis verbis graecis uti in Epistolis hos codices graecolatinos, pluribus etiam aut paucioribus, quam legimus in textu, qui est codicum ceterorum. Sed & illud verum est, & multis obseruationibus facile confirmatum; graecolatinos hos libros saepissime non solos sic legere; adfunt enim praesidia multa e codice alexandrino, & codice C; longe autem plura ex Hilario; tandem & illud obseruamus, misceri non numquam utramque recensionem, partim in textu vulgato graeco; partim in his graecolatinis. Igitur ex his conficimus haud dubie hoc, ut ne temere quis spernat hos codices, qui hic, Galat. 2, legunt, sine negatione. Nec obstat, quod tot numero libri addant negationem; haec enim causa non agitur per multitudinem codicum. Ita & Millius & Bengelius saepe praetulerunt lectionem codicis vnus, duorum, trium, si versionis vel vnus accederet auctoritas, & sensus rem sic habere commonstraret. Haec liceat antiquitatibus hermeneuticis dedisse; nec enim operae non est pretium, occasionem praebuisse nouis in hac causa studiis & exercitiis, quae multa supersunt post ea, quae Millius & Wetstenius iam contulerunt.

§. VIII.

ces graecos MStos, e quibus Wetstenius lectiones excerptit; quorum ingenium & diuersam auctoritatem, dabitur opera, ut perspiciamus melius; breuius de eadem causa tractatur etiam in notis & additamentis ad Wetstenii libellos, quibus regulas criticas & hermeneuticas complexus est; addimus simul recensionem frugiferam introductionis B. Bengelii in crisin N. T.; a quo viro erudito in quibusdam non dissentire non licet; etsi satis seueram & difficilem disciplinam criticam informasse videtur.

§. VIII.

Iam ad aliam *regulam* accedimus, quam *Tertullianus* legitime commendavit, a cuius usu autem plerique interpretes fuerunt alieni. Exstat de *praescriptione* Haeret. c. 8. 9. „Omnia quidem dicta domini omnibus posita sunt; per aures Iudaeorum ad nos transierunt: sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum. „ Iam illustrat, ex isto *quaerite & inuenietis*. „ Omnibus dictum sit, *quaerite & inuenietis*; tamen & hic expedit, sensu certare, cum interpretationis *guernaculo*. Nulla vox diuina ita dissoluta est & diffusa, ut verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur. „ Iam ex ipso *Tertulliano* addemus illustrationem, quia hic locus etiam nostra aetate a multis tractatur insolentius, qui hominem quemcunque sacrae scripturae lectorem sibi permitti volunt, & suo ingenio, internoque ministerio Spiritus potius attendere, quam peritis linguarum arbitris atque interpretibus sacris dare operam. Recte *Tertullianus* respondet: „quando hanc vocem dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinae suae, cum adhuc dubitaretur apud omnes an Christus esset, & cum adhuc nec Petrus illum dei filium pronuntiaisset; cum etiam Iohannes de illo certus esse desisset (16). Merito ergo tunc dictum est, *quaerite*. „ Porro addit, „Et hoc quantum ad Iudaeos; ad illos enim pertinet totus sermo sugillationis istius, qui habebant, ubi quaererent Christum. Habent, inquit, Moysen & Eliam, i. e. legem & Prophetas. „ Tandem pergit: „Sed & in primis hoc propono; vnum utique & certum aliquid institutum esse a Christo, quod „crede-

C 2

(16) Non ignoramus hodie plerumque hanc historiam, Matth. 11, 1. seq. ita exponi, ac si Iohannes nihil quicquam ipse dubitauerit, de Iesu, num esset Christus; atque discipulorum tantum aliorumque causa & commodo ad Iesum miserit. Sed facile ad *Tertulliani* expositionem & ipse accedo; carceris enim molestia & vitae periculum humanum animum commouere poterant, ut & ipse aliquid commodi & auxilii ad se a Iesu reditum speraret, si esset ille, quem plerique regem & dominum venturum credebant. Nec motus isti dubitandi faciunt, ut Iohannes omnino fidem, quae videbatur debilitari, in Christum abiicerit. His in commotionibus mentis fides spectatur & agitur.

„credere omnino debeant nationes, & ideo quaerere, ut possint, cum inuenerint, credere. Vnius porro & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse; quaerendum est donec inuenias, & credendum, ubi inueneris. Denique admonet quosdam, „nihil esse quaerendum ultra (ea), quae crediderunt (16); id esse, quod quaerere debuerunt; ne *quaerite & inuenietis* sine disciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis consistit, in *re*, in *tempore*, in *modo*. In *re*, ut quid sit quaerendum, consideres. In *tempore*, ut, quando; in *modo*, ut *quousque*. Haec Tertullianus suo consilio praecipue aptauit, in disputatione difficili aduersus Haereticos; quae omnino fuit praecipue historica, & pendebat ex Apostolorum Apostolicorumque doctorum continua serie; hic, si christiani *regulam fidei* cum baptismo acceperant: certe ineptissime Haeretici, *Valentiniani*, *Marcionitae*, *Ebionitae* istud carmen prae se ferebant: *quaerite* (fidei christianae regulam, veritatem, quibus Christus describitur & eius omnis persona, seriem & sensum), & *inuenietis*. Igitur recte sic praecipit Tertullianus, *pleraque dicta* Christi proprie complecti admonitiones, quae Iudaeos isto tempore & homines tum viuentes tangebant. Sed addimus, rem similiter habere, si spectamus multas sententias, quae in Apostolorum epistolis perscriptae sunt (17); in personas istius

tempo-

(16) Debebant omnino christiani suum locum & ordinem non ignorare; i. e. qui sunt *ἀσθενεῖς*, non appetant altiora; teneant *fidei regulam*, *symbolum*, nec ultra sapiant. Quanta igitur est dementia, quod imperitam plebem nostram libellis moleste sedulis impetunt & perturbant quidam germanici fere scriptores, eamque quasi aduersus doctiores & Theologos suscitant.

(17) Sed maxime addenda est *Apocalypsis*; liber *istis personis* eius temporis destinatus, non nobis, ut inde admonitionis cognitionisque proprietatem hauriamus. Aduersus Iudaicam tyrannidem in christianos scriptus est; consolatur talibus *ἐννεῖς* & symbolis noui regni, quales tum adamabant christiani *ἀσθενεῖς* & *ὑπὸ τοῖς*. Nostri autem & Romanum pontificem & alia portenta, nostra in tempora & regna ex eo libro exculpunt; velit nolit Iohannes, eum cogunt, ut describat res, quae iam fere bis mille annis nondum adsunt; tamen is vere scripserit, *celesterrime*, propediem ista euentura. Quod latini quidam boni scriptores

temporis directae sunt, non proprietatem admonitionis (aut διδασκαλίας adeo semper) nobis constituunt, qui, cum simus temporum & locorum intervallo satis seiuncti, nec ceteram, quae adhaerebat istis temporibus, opinionum, εννοιων & ἡθων hodie collegimus a Iudaeis aut a τοῖς ἑθνεσιν consuetudinem. Hic Apostoli non poterant novum loquendi reperire genus, si vellent suas admonitiones lectorum & auditorum animis illabi; nec spiritus sanctus, quo agebantur, relicto communi opinandi modo, inusitatum aut inauditum τροπον ποιειν adhibere. Sed pleraque in personas istius temporis directae; per aures Iudaeorum ad nos transierunt ista carmina; sed inde non statim infertur hoc, ut & nos redeamus in uniuersum illud opinandi genus; rem oportet a nobis praestari & obseruari, ille autem modus, quo adducebantur multi Iudaei ad amplectendos mores christianos, illud των εννοιων satellitium non omnino opus est ut a cunctis hodie Christianis adsciscatur. Atque hac in causa interpretum peritorum maxime spectatur ministerium; non eripitur inferioris loci hominibus, ut obsequantur bonis animi motibus, quos spiritus sanctus excitat, instaurat, repetit per occasionem vel vnius verbi, vnius εννοιης: sed ad institutionem ex sacra scriptura non sufficit hoc, ut verbis & sententiis exponendis ubique omnia apremus, quae aliunde iam scimus aut recordamur; nam, quae nos cogitamus, non ideo olim ubique a cunctis iam sic intelligebantur. Non satis est, ut verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur.

§. IX.

Atque ex hac parte fere pleraque haereses suam originem & robur deriuarunt suum, quod unus quisque facile sibi tribuebat hoc, ut interpreter religionis christianae meliorem se putaret, licet ab omni iusta institutione & παραδοσει scripturaria alienus; licet sine disciplina rationis interpretaretur, licet imperitus sensu certandi, cum interpretationis gubernaculo. Hos inter plerique deci-

C 3

pien-

ptores e monachis, & iis, quos Romanorum antistitum varia malignitas oppressit, ex hoc libro se consolabantur, quorum vestigia & Lutherus pressit, quia tempora ferebant; facilius excusandum est, quam quod hodieque magno conatu & seuerio vultu commentatores id agunt.

piendi gratia praetendebant, quod *Tertullianus* cap. XIV. addit, se quaerere, ut alii, per sollicitudinis iniectionem, *tractatus suos insinuarent*; qui tamen, ubi adierint ad aliquos, statim, quae (antea) dicebant quaerenda esse, defendebant. Ex istis alii eo delapsi sunt, ut dicerent, *non omnia apostolos fuisse*, c. XXII. (nempe Spiritus internam reuelationem ipsi pollicentur;) alii vero, omnia quidem Apostolos scisse, *sed non omnia omnibus tradidisse*; quod postremum non est omnino falsum, licet non illud complecti possit, ut doctrina vera haberi potuerit ea, quae contradiceret regulae fidei. Non pauca tolerarunt apostoli, quia non semper, non apud omnes, statim ad *τελειότητα* ferri licebat. Sed & illud certum est, numquam constare ad alios, eas sententias aut *ἐννοιαι*, quas illi *spirituales* addi volebant & praecipue amare, esse a spiritu dei, atque esse necessarias ceteris hominibus (18).

§. X.

Pergimus, & *tertiam* recensemus e *Tertulliano* regulam hermeneuticam, quae & ipsa est bonae indolis & utilissime applicatur multis S. S. locis, quae solent a multis etiam nostro tempore secus tractari, quam ius fas erat. *Parabolas* enim, (quo sermonis genere Christus vsus est, non ut nos maxime doceret, aut inuolueret futurarum inter nos & nostros rerum mysteria & (19) sacramenta, sed

(18) Hic ecclesiae securius egerunt, quae retinebant tantum illud, quod interpretum eruditorum studiis communibus in S. S. reperitur; nec tot sententiarum diuortia & contraria exercitia locum ad nos usque inuenerant, si ista impotens luxuria & licentia abfuisset, qua imperitissimi quique scripturam sacram tractare atque ex Spiritu S. si placet interna institutione atque infusione, noua & meliora decreta dogmatica procedere ausi sunt. Atque sustinemus prae nobis ferre, non fuisse, non esse inferiores christianae religionis, quae symbolo nititur historico, hostes, atque aduersarios peiores, quam istos omnes, qui *πνευμα* iactarunt; siue, quod res est, ingenio & sensui hominum omnium perimierunt, quid sibi sacrum atque diuinum fingere ipsi velint. Liberum est, scriptura sacra uti; sed iis liberum est, qui uti possunt, possunt autem pauci; ceteri horum utuntur institutione atque ministerio.

(19) Ita ipse Christus *Marci* 4, 11, vobis datum est, *γινώσκειν τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ*, illis vero, *τοῖς ἔξω*, tantum in parabolis, ut audien-

sed quia Iudaei ferre aperte loquentem non poterant) plerique adhuc interpretes ita tractant, aut torquent, ut inueniant sub confecto isto atque dedita opera occultato (19) sermonis genere, nescio quantum πνεύματος & sacramentorum. Atque inter Batanos praecipue floruit nuper adhuc talium interpretum Cocceianorum non solum, sed

audientes, non intelligant &c. Clarius Matth. 13, 11, ἐκείνοις δὲ ἔδδοται scil. γινώσκειν τὸ μυστήριον &c. & v. 34, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐ ἐλάλει τοῖς ὄχλοις, quod Marci 4, 33, 34. illustratur, loquebatur eis verbum in talibus parabolis, καθὼς ἠδύνατο ἀκεῖν, sine parabolis autem non loquebatur eis. Κατ' ἰδίαν δὲ discipulis ἐπέλυε τὰ πάντα. Atque sic res habet; opus est noua auctoris seu loquentis ἐπιλύσει, qui ipse designet, quam seriem ἐννοιῶν ipse secutus sit. Parabolae enim constant continuatis allegoriis, imaginibusque, quae res alias rerum quadam similitudine describunt. Iam cum similitudo intercedat varia & rerum plurium: certo eligi ab audientibus non potest series illa vnica, quam sic describendo magis occultauit quam prodidit sermonis auctor. Nobis autem Christus & Apostoli, praecipue post Spiritus S. illud inusitatum ministerium, aperte & clarissime ea tradunt atque exponunt, quae a Christianis, sciri atque intelligi volunt. Itaque ex parabolis dogmata deriuare, quae alibi non iam clarius produntur, non licet; atque hoc studio si quis tamen praecipue ducitur, se ipsum atque ingenii sui praestantiam & noui interpretis honorem potius sequitur, quam stabilem ad alios, & iustam auctoritatem. Hac labe si semel infectus est animus sic, ut didicerit dei honorem simul & rerum grandia mysteria prae se ferre: pertinaciter ad ista ἐνγλήματα adhaerefcit.

- (19) Attigimus iam paulo ante: studiosius, deditoque consilio hoc sermonis genus adhiberi, quod occultat potius sententiam loquentis, quam prodit; nec uti possumus nos istis obscuris scripturae partibus, siue nostrae utilitati non sunt destinatae, nisi postea accesserit legitima siue Christi siue Apostolorum clarius interpretantium auctoritas. Ita & de Apocalypsi statuimus; descriptiones istas aenigmaticas minime nostrae hodie utilitati destinatas esse, sed istis eius temporis, in oriente praecipue, Christianis. Non defuit doctoribus & presbyteris explicatio. Quid igitur auctoritatis ostendunt, qui ingentia fata ex Apocalypsi ad nos vsque suspendant? Nempe, ignorabamus, cuncta per temporis interualla, rerum magnas existere mutationes? Quis autem ex nostris didicit, hanc illam historiam, ante rei rudimenta & historiae primordia, ex Apocalypsi? Quis claris rationibus persuasit, auctorem de nostra & patrum aetate aliquid hoc capite, illo capitulo, portendisse? Cur igitur hodieque hoc saxum propheticum multi adhuc versant?

sed & aliorum, quaedam quasi disciplina, quae ista noua ingeniorum ludibria quasi consecratum iret; quod mysticae interpretationis genus *οἱ πολλοί*, ut fieri solet, ita arripuerunt, atque multis studiis sic confirmarunt, ut ex parabolis longas &, si ipsos audias, arduas materias, historias adeo futurarum rerum, extorserint (20). Redeamus autem ex istis labyrinthis, in verustissima illa tempora, quibus inde ab apostolicis praeceptoribus supererat adhuc hermeneutica iustior consuetudo & castior disciplina; nec pigeat de *parabolarum* hermeneutica causa *Tertullianum* legere differentem. Is igitur de *Pudicitia*, iusto seueriorem moralem disciplinam inter *Montanistas* iam professus, aduersus Catholicos, (*Psychicos* nominare solet *ὁ πνευματικός* ille,) inde a cap. VII. disputat aduersus illam moderatiorem formam ecclesiasticam, quae poenitentiae subsidium

(20) Non iam propositum nobis est hoc, ut excutiamus causam hermeneuticam omnem de *parabolis*; vtimur tantum hac occasione, & monemus nostros academicos, ut ne patiantur falso splendore oculorum aciem sibi impediri. De *parabolarum historico* sentu ineptierunt multi; nec mediam viam tenuit, *Vitringa*, vir bene meritis insignis, sed amore rei, quam videbatur praecipue exornasse, iusto longius abreptus. Legat, qui voluerit serio rem perpendere, breuissimam descriptionem earum ineptiarum, quas de parabola *Luc. 17*, non sine honorifico apparatu nobis risui, an odio, exposuit *Ioh. Lomeierus*, *Henricus Teilmannus*, cuius illepidum libellum praefatione ornatam fuisse *Vitringae*, recte miratur *Pfaffius*, (introduc. in histor. theol. litterariam, volum. I. p. 96. seq.) & *Densius*, qui, *quinque fratres*, quos *diues* memorabat sibi esse, reperit esse *quinque populos* *Apoc. 17, 13*, ubi decem reges potestatem bestiae tradiderint primum; post reformationem vero *quinque* saltem adhuc bestiae seruiant, caeteris Babelae executibus &c. Nempe, quotusquisque nostrum est, vel paulo aequiori iudicio, qui sibi persuaderi patiatur, Christum *ibi* ad istos homines, de fati ecclesiae occidentalis, de qua nemo cogitare poterat, tam seueri & diligenter exposuisse, & de reformatione adeo Iudaeis aliquid gustandum proposuisse? His ineptiis & quisquiliis nisi tandem abstinamus nos, parum commendabiles religionis christianae erimus interpretes. Opus fuit ista emendatione sacrorum, opus erit & porro, ut nobis & nostris temporibus, ut sapientes *ὁμολογοῦντες*, prospiciamus; sed quid, quaeso, opus erat, illa a Christo tum, *ibi*, illis hominibus significari? An, ut lianti ore & stupore pleni, propter *ἀτομίας πλὴν θύτης*, & sine mente, tamen audirent!

fidium suis ciuibus promittebat, & ex *Parabolis* exempla appellabat sperandae iterum sanitatis & salutis. Igitur illi *ouis perditae* exemplo suam spem de lapsis christianis confirmatum habant. Respondet *Tertullianus*, primum: ea haud dubie a Christo. hic dici aut innui, quae referebantur ad sermonis occasionem & consilium; cum non de Christiano, sed de ethnico loqui. Gentiles enim quasi ouem perditam a domino quaesitos & humeris quasi suis reuectos esse. „*Prae-*
„*scribimus ex naturae disciplina, ex lege auris & linguae, ex mentis*
„*sanitate*: ea semper responderi, quae prouocantur. Prouocabat, opi-
„*nor*, (seu occasio haec loquendi erat ista,) quod Pharisei publicanos
„& peccatores ethnicos admittentem dominum, & cum illis de victu
„communicantem indignati, mussitabant. Ad hoc dominus, pecu-
„dis perditae restitutionem, cui alii configurasse credendum est, quam
„ethnico perduto, *de quo agebatur*; non de christiano, qui adhuc ne-
„mo.„ Atque verbosius haec tractat; aliter Christum, ommissa prae-
senti specie, quam repercutere debebat, nihil respondisse ad quaestio-
nem & mussitationem Phariseorum. — *Iusti*, Iudaei, quibus poe-
nitentia opus non erat, habentes gubernacula disciplinae & timoris
instrumenta, legem & Prophetas; posuitque hos in parabola, non
quales erant, sed quales esse debuerant, quo magis suffunderentur. —

Tum cap. VII. respondet ad parabolam de *filio perduto*. Duos
hic populos christiani ceteri doctores in duobus filiis collocabant, aut
interpretando inueniebant; Iudaicum, *maiolem*, Christianum, *mino-*
rem. Audeat *Tertullianus* negare, maiorem filium ibi describere Iu-
daeum populi mores; hac ratione usus: Iudaeos semper reprehendi, apo-
statas filios esse, quibus deus, pater, numquam det hoc laudis, ut ali-
quem dicere patiat, tot annos *seruio tibi*; (21) aut audire, *omnia mea*
tua

(21) Similis argumenti parabola *Matth. 21.* proponitur. Prior filius ibi Iu-
daeos *describit*, qui diligenter prae se ferunt, se facere omnem dei volun-
tatem; qui *primi* audierunt consilium dei vniuersum, & de μετανοια
iam per Iohannem admonerantur. Ετερος designat homines ἀμάρτω-
λας a Iudaeis dictos, e gentibus, qui *serius* inaudierunt de dei voluntate.
Eo libentius istum locum hic notamus, quia & hic diuersitas *recensionum*
graecarum satis clara est. In plerisque enim libris iam legitur, ut in textu
excuso, v. 24, τῷ πρώτῳ, — ὁ δευτερός, ὅστις ἐν δευτέρῳ μεταμελήσει &c. καὶ
προσελθὼν τῷ ἐτερῷ (δευτέρῳ alii hic) — ἐγὼ Κυρίε, καὶ ἐν ἀπλη-
D δε -

tua sunt. Qua in re obliuiscitur, quod antea recte dixerat: Iudaeum populum fingi, ut esse debebat; fuerunt certe inde ab *Abrahamo* semper e populo Iudaico multi, qui ingenua in deum mente essent. Apostolorum autem & eorum, qui iam diu Mosaicae legis onera magno studio perfecerant, varias voluntates in gentes scimus. Sed & Pharisei & Iudaei plerique id sibi sumebant, ut statuerent deum ab ipsis studiosissime coli. Itaque hac in re dissentimus a *Tertulliano*; qui tamen & ipse cap. IX. redit quasi in viam, „Pharisei ethnicum „(minorem fratrem) de seculo ad patris complexus reuertentem in „publicanis & peccatoribus, moerebant; & ideo ad hoc solum *maioris fratris accommodatus*, (fictus, descriptus est in parabola) *liuor*, non quia innocentes & deo obsequentes Iudaei (debebat addere, *sed quia* tales sibi videbantur, quia a deo arrogantius omnem *ευλογιαν* postulabant,) *sed quia inuidentes* nationibus salutem; plane quos, (Iudaeos) semper apud patrem esse oportuerat.

In hac igitur disputatione prodit *Tertullianus* ista salubria monita: „etsi omnia ad speculum (in parabola & similitudine, *τυπος* &

„*αυτι-*

92 — v. 31. *ὁ πρωτος*. Sed in codice 13. 69. versione *copta*, *arabica* (*londinensi*, *Kiriteni*), *Isidoro* lib. IV. ep. 85. *Damascono* homilia in *Ficum*, *Pseudoathanasio*, & Scholiis *Cordeui*, ista responsio transponitur. Superfunt autem clara vestigia & documenta, etiam in latinis libris. *Corbei*. 1. 2. *Cantabrigien*is (etiam graece, *ερχατος*) *S. Germ. I. Veronensis*, *Vercellensis*, *Cod. S. Andreae*, *Auenionensis*, *Hilarius*, & codices, quorum meminit *Hieronymus*, (comment. in *Matthaeum*) *Augustinus*, *Iuuenius*, *Victorinus*, *Hippolytus* in *Genesi* c. 49, 21. omnes constanter v. 31. legunt: *Novissimus*; unde clarissimum est, v. 30, quod est *novissimum* in hac parabola, fuisse olim eam sententiam, quae iam est in vulgatis libris in v. 29: *nolo, postea autem poenituit & abiit in vineam* &c. Sic & *Anglosaxonica*. Hic, quis est, qui non videat, ordinem responsionum fuisse mutatum in recensione ista alia? In *brixiensi* libro, quod non raro alicubi accidit, *primus*, ex vulgata iam repositum est. Addo, *Origenem*, qui solet, favere huic recensione, quae est in D. 13. 33. cet. aperte similiter commemorare *primorem*, hanc sententiam: *Εγω κυρις*, & posteriorem facere hanc, & *δευτερος* &c. In *Matth.* tomo 17. p. 771. edit. de la Rue tom. 3. Atque hic verus interpretatio clare habet: Iterum de *primis* quidem (dicitur) publicani autem & meretrices *crediderunt* &c. Igitur hic auctor interpretationis similiter transpositionem agnovit. Clarus autem *Origenes* ibidem pag. 786, *ὅτι εἰς τὴν εἰς δευτερον* &c.; *Εγω κυρις*, *καὶ ἐν ἀποκάλυψιν*.

„*ὑποκρίτης*, qui fingitur ex ingenio interpretis) respondere possint, „*unum est praecipuum periculum interpretationum, ne aliorum tempe-* „*retur felicitas comparationum, quam quo parabolae cuiusque materia* „*mandavit.* „ Iam addit elegantem rei illustrationem, qua, si qui vo- „*lent, sapere hac in causa & discent, & audebunt; licet alii in viam* „*τῶν πολλῶν ruant.* „*Meminimus enim & histriones, cum allegoricos* „*gestus accommodant canticis, alia longe a praesenti & fabula & sce-* „*na & persona, & tamen congruentissime, (nempe, si iudices extra* „*hanc scenam, quam debebant referre) exprimentes.* Sed viderit in- „*genium extraordinarium; nihil enim ad Andromacham.* Sic & „*haeretici easdem parabolae, quo volunt, tribuunt; non quo debent,* „*aptissime excludunt, (abstinent ab interpretatione, cum ultra iam extendere non* „*fas est.)* Quare aptissime? Quoniam a primordio secundum occasiones para- „*bolarum ipsas materias confuxerunt doctrinarum.* Vacavit scilicet illis so- „*lutis a regula veritatis ea conquirere, atque componere, quorum (περὶ μα-* „*τῶν aut hominum ista agentium) parabolae videntur.* Nos autem, quia non „*ex parabolis materias (περὶ ματῶν, aliarum rerum descriptiones,) commenta-* „*mur, sed ex materiis parabolae interpretamur: nec valde laboramus, omnia* „*in expositione torquere; dum contraria quaeque caueamus.* (Non torque- „*mus aut sacramenta auguramur) quare centum oves? quid utique decem* „*drachinae; quae illae scopae?* (Saluberrime ista praecipit *Tertullianus*, sed „*hodie, quam pauci iis in rebus torquendis non versantur, spiritum causati?)* „*Necesse erat, qui vnus peccatoris salutem gratissimam deo volebat exprime-* „*re, aliquam numeri quantitatem nominaret; de quo vnam periisse describe-* „*ret.* Necesse erat, vt habitus requirentis drachinam in domo, tam scoparum, „*quam lucernae adminiculo, adcommodaretur.* „

Quemadmodum vero istas *Tertulliani* praeceptiones omnino & proba- „*mus & commendamus: sic in eadem causa ab eo discedimus, cum istam difficil-* „*limam disciplinam Montanistarum defendit.* Etsi enim parum feliciter istae „*parabolae appellabantur in ea quaestione, quae est, de repetenda poenitentia &* „*venia lapforum, e grege nostro, in moechiam &c. tamen res ipsa, quam defendit* „**Tertullianus*, non tam nititur quibusdam Christi, Apostolorumque sententiis,* „*quae sint tam tristi ac seверо ingenio: quam amore sectae, & studio singularis* „*praestantiae, a qua Montanistae suam ecclesiam omnem commendari volebant,* „*vt ne vnus quidem in ea reperiretur, qui in istud crimen, ἀμαρτίαν πρὸς θάνα-* „*τον, lapsus fuisse dici queat.* Ista autem ecclesiae integritas & praestantie, ista „*agri virtus, in quo nihil spectetur, nisi triticum: nec a Christo nec ab Apostolis* „*fuit informata.* Videntur autem praeter oeconomicas aut politicas, fanaticae et- „*iam subesse rationes, de eo, quod sit per baptismum, & per sacram coenam:* „*quod Montanistae negarunt istis peccatis veniam ecclesiasticam.*

F I N I S.

IOANNI

IOANNI FRIDERICO KIPP,

AVDITORI ORNATISSIMO

S. P. D.

IO. SALOM. SEMLER.

*E*t si isto tempore satis exiguo uti possum otio, nolui tamen istam scriptionem litteris his ad TE meis carere; quibus significem, non solum honestam vitue rationem, quam secutus es apud nos, mihi probatam fuisse, sed etiam TE collaudem, quod huius argumenti scriptionem mihi committere, quam arrogantius ipse arripere maluisti, ad quem profecto non minus laudis ab ista modestia redit, quam si auctoris nomine ultro superbires. Itaque, si ex isto vitae genere arbitrari volumus de illo rerum TVARVM modo, quem observaueris apud Göttingenses, ex qua illustri academia ad nostram accessisti: facile statuendum nobis est, TE etiam Göttingae diligentem dedisse operam lectionibus theologicis, philologicis, & aliis, quibus adiuuari recte possunt, qui ad provinciam sacram praeparari cupiunt. Mibi certe satis constat, de TVA diligentia, quam fere inuita valetudine semper impendisti hic theologicis lectionibus. Primum omnium igitur, moneo, ut des, adnuente ei rei Deo, operam, confirmandae valetudini; deinde hortor TE amicissime, sequere iam istum porro tramitem, & diligentiae, & modestiae, & honestatis; sed & porro diligenter adiunge disciplinae christianae usum atque exercitium: ut ad alios etiam salubres fructus referas.

Vale. Dab. d. XV. April. MDCCLXV.



